



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, A. M.DC.XXIX

Matthias Martinetz, Operis Interpres Lectori.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56232)



MATTHIAS MARTINETZ,
OPERIS INTERPRES
LECTORI.

Non omnino à scopo mihi aberrasse videntur illi, amice Lector, qui per reginam illam à dextris summi Regis adstantem, & varietate omnigena circumdatam, quam coloribus suis ad viuum peniculo *Pfal. 44.* Dauidico depingit Spiritus sanctus, Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, & Romanam arbitrantur designari. Hæc siquidem, seu Regina quædam potentissima, suum hæcenus longè lateque per omnes terrarum oras, & incognita regionum imperium propagauit, & etiamnum sua quotidie, quemadmodum fide dignissimorum testimonio scriptisque litteris constat, per ignotas Europæi prouincias, & alio sub sole calentes victrix & gloriosa signa circumfert. Non immeritò porro Reginam nominemus, quæ suæ auctoritatis potentia insurgentes in se aduersarios in sua cogit iura concedere, hæreticorum elidit audaciam, schismaticos etiam & perduelles suum iubet nutum agnoscere, ipsi denique infernalibus potestatibus ac dæmonibus terrori est: stant etenim, & perpetuò stabunt Redemptoris promissa; quibus portas inferi minimè aduersus præualituras iam olim asseuerauit. *Matt. 16.*

A dextris autem sponsi adstare dicitur, quod præ aliis congregationibus & conuentibus, nec non præ Mosæica Synagoga, illi intima sit, carissima & proxima, ut qui ad consummationem usque sæculorum cum eadem se permansurum pollicitus sit, auxilio futurum, & ab insurgentibus obloquentium oppugnantiumue procellis vindicaturum: Aded ut, quamuis nutet, titubet, vacillet, perstet tamen, consistat, & inuicta emergat. Videmus enim, tametsi hoc illone loco paulatim deficere, nec non perire videatur, alio eam caput longè gloriosius iam oppressam extollere, vel, ubi eius hæcenus auditum non fuit nomen, ibi innotescere incipere, & in nouo longè felicius orbe oriri, quam in cognito occidat infelicius. Verè igitur ipsa est, quæ ascendit de deserto innixa super dilectum suum: quæ deserto inquam gentilitatis & inculto horridoque ethnicorum senticeto, & hæreseos vepreto efflorescit, eius innixa & subnixa potentia, à quo plantata, irrigata, & hæcenus conseruata est; etenim eius potentia attingit à fine usque ad finem terrarum, & sub illius vnus nutu potentissimorum colla tyrannorum inspectantur. Illam ergo qui inter morituram sperat hæreticus, aut metuit Catholicus, nã ille vel diuina ignorat promissã, vel de Altissimi ambigit potentia. Vigebit enim,

& ætatem feret: quamdiu verò vigeat, nunquam ei promissa illa discolor deerit varietas, nunquam multiplex illa munitiorum variegatio: nam, quamdiu sacra illa & hierarchica stabit respublica, commodi eius non deficient administri, & quamdiu erunt, qui bella bellabunt Domini, non deerit inter illos functionum distinctio: quamdiu summi illius patrisfamilias domus persistat incolumis, non deerunt diuersicolores (unicolores tamen, & vnus linguae) famuli, qui Dominum honorem tueantur, nomen celebrent, potentiam dilatent, & aduersus obtrectantium calumnias vindicent. Hæc quippè ministrorum varietas, & officiorum distinctio ni foret, Babylonica familiam hanc occuparet confusio, merum chaos. Vt enim corpus vnum multa habet membra, & omnia quidem non vnum usum habentia: sic & Ecclesia illa vna, quam ceu corpus anima, sponsus illius Christus vegetat & informat, iam inde ab suo exordio, in varia est ministrorum functiones & operariorum discrimina eleganter admodum interstructa, quæ quidem multiplex varietas non decus ei modò & splendorem adfert & ornamentum, verum etiam fructuosa est & utilis. Nec nostra duntaxat ætate, sed abolitans etiam temporibus, & sub Ecclesie nascentis primordia eandem in ipsa functionum differentiam videre licuit. Sic enim ipse ad Ephesios scribit Apostolus: *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, &c.* Apostolis siquidem primis illis morte sublatis succedere alij, eodem fidei Christianæ propagandæ, & per orbem terrarum Euangelij disseminandi studio ardoreque animati. Neque etiam Euangelistarum soli illi numerum explent, quos peculiari illo in Ecclesia dicimus nomine; sed & omnes illi, qui Euangelium vel priuatim in scholis, vel publicè pro concione interpretantur, quales nulla fert vniuersitas & ciuitas. Doctorum verò nomen semper patuit in Ecclesia quam latissimè, nec vllò vnquam tempore hi defecere. Vt enim de veteribus illis tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesie Patribus atque Episcopis nihil dicam, qui scriptis habitisque homiliis, sermonibus, & concionibus cum fidei Christianam aduersus Gentiles & hæreticos, quoad potere, propugnauerunt; tum etiam tetras vitiorum fibras ac radices è Christianorum animis stirpitus euellendo, ad meliora eosdem studia traducere sunt conati; etiam exulcerato hoc sæculo nostro (quo & longè lateque laxatis impurè habentis vagatur impietas, flagitiosa deinde vitiorum contagio, & intolerabilis aduersus summum Dei numen audacia; quo denique pestilens illa hæreseos per omnes propemodum Europæ angulos vel iam dudum se insinuauit propago, vel occultis moliminibus atque artibus, qua potest, proserpere allaborat) impigros nauosque diuina bonitas excitare Ecclesie suæ dignata est Ecclesiasticas ac Doctores, qui ad vitæ sanctimoniam integritatemque; accedente & doctrina & eloquentia non vulgari, per omnes Christiani orbis prouincias & enatas hæreses iugulant, & ad virtutum decus omni studio, totaque animi contentione & omnibus neruis proximum animare contendunt. Non hic eos intelligo, qui tam in remotis ac barbaris regionibus, quam in Europa ad populum in suggestis agunt: sed eos, qui scriptis concionibus proximorum, qui in cathedra ipsos detonantes audire non potuerunt, commodis consulere student. Horum de numero Panigarola, Caracciolus, Mustus, Valderama, Grana-

P R A E F A T I O.

Granatenſis, Coſternus, aliaque cathedrarum decora, & Eccleſiaſtarum Principes, atque imprimis Beſſæus hic noſter, Condæ olim Principis, modò Chriſtianiſſimi Galliarum Regis orator : quo quantum Lemouices ciue, Sorbonici Doctores Collega, ac primariæ Galliarum vrbes Eccleſiaſte queant gloriari, cuius notius eſt, quàm vt pluribus hic à me ſit opus commemorari. In quo eam dicendi vim notauit & vbertatem, eam diuiniſſimæ doctrinæ, & reconditorum conceptuum abundantiam, eam quoque humanarum diuinarumque ſcientiarum varietatem, eam obſcuriorum ſacræ ſcripturæ locorum in omni propè ſenſu genere explicatorum copiam, eam denique in omnigena materia concionum diuerſitatem, vt ille mihi vnus inſtar ſit omnium, nec (quanquam aliorum labores ipſe carpere nec poſſum, nec debeo, neue à ſcribendo quempiam detertere volo) in ipſo quid quis deſiderare queat. Si enim Eccleſiaſticum, vt Catholicus Docteur, adſtruat dogma, ſummus eſt; ſi controuerſas in fide quæſtiones enucleet, nullus id eo videtur poſſe facere diſertius, ſolidius nullus; ſi litteralis, allegoricus, tropologicusque ſcripturæ ſenſus producendus, vnus ad hoc Beſſæus non factus, ſed natus apparet; ſi à vitijs deterreat, & ad virtutem quamcunque auditorem excitet, tanquam vmbra alij volitare, ſolus ipſe ſapere videtur. Ipſum igitur inexhaustum rerum omnium promptuarium, omnigenæ doctrinæ ſcrinium, humanæ diuinæque ſcientiæ promum condum, Catholicæ fidei hyperaſpiſten, & Caluino-maſtygem, denique ſacrorum theſaurorum gazophylacem non iniuria appellauero. Neque vero vnicum id in tam numeroſa conceptuum & concionum multitudine: vt qui ſuis vniuerſas totius anni quantus quantus eſt Dominicas, Sanctorum tum publicorum, tum priuatorum aliquot feſtiuitates, tum Ven. Euchariſtiæ Sacramenti Octiduum, ſacræ verni ieiunij & Aduentus Dominici tempora, habitis ſcriptiſue concionibus condecorauit. Quas qui legerit, in his certus ſum fore, vt prudentiam ac ſanctimoniã diſcat ætas adoleſcentior, morum conformationem virilis, & Chriſtianam vitæ terminandæ rationem ſenilis; vt ſuam Præſules ac Clerus, ſuam coniugatus ac cæleſtis vitæ componendæ formam inueniant; vt hæreticus & à fide deuius errorem, & eam, in qua verſatur, caliginem ac dementiam agnoſcat; nutans vero ac fluctuans dubitare deſinat; Catholicus denique in eadem confirmari, & errandi occaſionem harum lectione à ſe amouere queat. E quibus quanta promanarit hæctenus, & etiam hodie promanet vtilitas, vel inde ad liquidum patet, cum quòd ſuis variæ eas gentes loquentes linguas fecerint, ſuis Hiſpani, ſuis Germani, ſuis Itali, nos denique poſtliminio eas Latina ciuitate donauerimus; tum verò quòd iam quartam Latinam illarum editionem Typographus noſter Colonienſis adornet, & quo tuis, Lector, commodis velificetur, vno eas dupliciue tomo ſimul prælo ſubiecerit. Cuius tibi gratificandi ſtudium, ſimul & opellam interpretis æqui bonique conſulas obſecro, ac ſi quid palato tuo ſubtiliori minus plaquerit, pro tua benignitate ac candore æquis rerum arbiter & æſtimator ignoſcas. Vale, Colonia Agrippinæ Kal. Martij, anno M. DC. XX.

APPRO.